AD
ACTVM ORATORIVM

IPSO

SCHOLAE ILLVSTRIS GRIMANAE

NATALI DIE XVIII. KAL. OCTOBR.

A. R. S. CIↃ IↃCC LV.

PERACTIS SACRIS POMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORE

A

SEX ORNATISSIMIS IVVENIBVS

LITERARVM STVDIOSIS

HABENDVM

EA QVA DECET HVMANITATE

INVITAT

DE

FRIDERICI GVILIELMI DVCIS

ET PRO-ELECTORIS SAXONIAE

DEI DONO PATRIAE COMMODATI

IN REM SACRAM CIVILEM ET LITERARIAM

MERITIS

PRAEFATVS

M. HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS

ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

12.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Operae pretium nos facturos, arbitramur, ea, ex factis promiſſis, in laudes Ducis, et Proelectoris Saxoniae, FRIDERICI GVILIELMI, immortaliter meriti, addere, quae omittere minus licebit. Hac laudes eximiae, celebrabuntur, illae quidem, non ſolum noſtris, ſed paene omnium poſterorum literis, ac linguis, neque vlla vnquam aetas, de his ipſis conticeſcet. In tanta vero laudum amplitudine non tam copia, quam modus quaerendus eſt. Regimini Electoratus Saxonici Praefectus, FRIDERICVS GVILIELMVS, non niſi, quietis conſiliis, et clementia, rebus turbatis, medicinam ſalutarem quaeſiuit, et de commoda, bonaque reipublicae, conſtitutione dies noctesque cogitauit, vſu iam edoctus fuit, ſibique firmiter perſuaſum habuit, plus effici moderatis conſiliis, quam vi, et vehementia, praeſertim cum cogitatione rectius, quam animi impetu, negotia expediri poſſent. In animo et ore ſemper habuit, aureum et ſanctum D. Pauli praeceptum: *ſi fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viuite.* Togatae virtutis haec ſunt opera, patriae omnino vtilia, et ſalutaria, quippe quae his praeſidiis firmata, in bona pace, et quiete permanſit, nullum incommodum euidens, nullum periculum graue, nullam vim, et hoſtilem impreſſionem, ſenſit, et experta eſt, etſi forte tumultuoſius quidquam tentatum, aut coeptum eſt, id non vi, et impreſſione, ſed conſilio, et ratione ſedatum eſt. Suggeſſit huic Principi Deus O. M. haec ſalutaria conſilia, eius animum gubernauit, vt breui tempore, in patriam tanta intulerit ornamenta, quae non ſatis laudari et praedicari poſſunt. Vſus eſt conſiliariis integris, fidelibus, et grauibus,

Dreſſ. in Orat.

Weck. in Chron. Dreſd. p. 177.

Digitized by Google

bus, quorum conſiliis patriae ſalus aucta, et amplificata eſt. Quo vero gubernatio Electoratus bono ordine inſtitueretur, feliciusque procederet, more et conſuetudine Electorum Saxoniae, anno MDXCII. conuentum principalem Torgae habendum indixit, in quo de ſingulis paene partibus Reipublicae deliberatio grauis, et ſalutaris ſuſcepta eſt. Diſtincti ſolent eſſe in eiusmodi conuentu ordines, Praelatorum, Profeſſorum ex academiis, Comitum, Baronum, Equitum, et Ciuitatum. Nemo iſtorum omnium inuentus eſt, qui non animo lubenti et alacri confluxerit, et euentum proſperum exſpectauerit. Nihil enim prius, nihil antiquius, habuit, FRIDERICVS GVILIELMVS quam vt, ex repurgato templo, et a Caluiniſmi blasphemiis aſſerta, atque in priſtinum Lutheranae puritatis nitorem reſtaurata religione orthodoxa, perenne decus, et ſempiternam nominis famam, cum immortali gloria coniunctam, ſibi conciliaret, quam etiam ipſo opere, et ſummo iure, promeruit. Conf. *Hutteri* Concordia concors, p. 255. Hinc voluit articulis ſubſcribi, quibus vera ſententia, de ſacra Coena, de Baptiſmo, de praedeſtinatione, et paucis aliis articulis fidei controuerſis inter Lutheranos et Caluinianos continetur, qui ſubſcribere recuſarunt, in eos non ſaeuitum eſt, ſed munus tantum publicum, ſi quod gesſiſſent, iis abrogatum, vt non niſi genuini Confeſſores Aug. Conf. in muneribus publicis relinquerentur. In hac verae religionis confeſſione ſe vſque ad extremum vitae ſpiritum perſeveraturum eſſe, verbis perſpicuis teſtatus eſt: *Nunquam ſe claudicaſſe, aut claudicare velle, in doctrina fidei chriſtianae, ſed quam religionem profeſſus eſſet, ab ineunte aetate, in qua baptizatus et educatus eſſet, in ea ſe perſeuerare vſque ad extremum vitae ſpiritum, per Dei gratiam, velle.* In hoc ergo conuentu prima eius cura fuit, de reſtituenda vera religione, et exſtirpandis erroribus nonnullis, qui irrepſerant. Etſi enim CHRISTIANVS I, Elector Saxoniae, non minus, quam pater ipſius, D. AVGVSTVS, Aug. Conf. vere profeſſi erant; occulte tamen nonnulli Caluiniſmum, ſub ſpecie huius confeſſionis, inuehere conati ſunt. Hinc omne ſtudium, omnem diligentiam, omnem ope-

Glaſey in Nucl. Hiſt. p. 358.

Mulleri Annal. Sax. ad h. an.

Dreſſ. in Orat. citata.

Digitized by Google

operam, ac laborem, Princeps pietate commemorabili praeditus, adhibuit, vt debitus Deo honos tribueretur, religio pura, ſecundum Aug. Conſ. formulam confirmaretur, et cultus in Eccleſia ac Ceremoniae recte conſtitutae, et magno conſenſu omnium adhuc obſeruatae, inuiolatae conſeruarentur. Hoc laudabili inſtituto, et conſiliis ſaluberrimis, ita incenſae ſunt ordinum Saxoniae mentes, et pectora, vt ſibi, et patriae, gratularentur. Iucundiſſimum omnino fuit ſpectaculum in hoc conuentu, intueri Principem, ſancta iuſtaque proponentem, et ſubditos omnes voluntate, ſtudiis, et ſententiis aſſentientes. vid. *Glaſey* Nucl. Hiſtor. p. 424.

His feliciter, et ex voto omnium bonorum, confectis, omnis cura, et conſilium huius ſereniſſimi Principis eo ſpectauit, vt tres Miſniae Epiſcopatus, Miſenenſem, Merſeburgenſem, et Naumburgenſem, iunioribus Principibus, fidei ſuae commiſſis, adquireret. Neque tamen ius, et poteſtatem in hos Epiſcopatus, impetu et violentia, aut vanis perſuaſionibus Canonicorum, aut pretio ſoluto, parauit; ſed ipſi Canonici ſe ſubiecerunt. Anno MDXCII. eius cura Princeps primogenitus CHRISTIANI I, nempe CHRISTIANVS II, nouem annos natus, Epiſcopatus Miſenenſis Adminiſtrator eſt conſtitutus, quem reliqui Saxoniae Principes vi perpetuae poſtulationis, ſequuti ſunt. Anno MDXCIII. Princeps IOANNES GEORGIVS, Epiſcopus Merſeburgenſis poſtulatus eſt, ſeptem annos natus. Hic Epiſcopus Merſeburgenſis non infimum in Praeſulatibus Germaniae locum meretur. Hunc Praeſulatum GEORGIVS, Princeps Anhaltinus, olim rexit. Tum filius AVGVSTI I. Electoris Saxoniae, ALEXANDER, et hoc mortuo, ipſe Parens praeſul huius Epiſcopatus fuit. Poſt haec tempora Capitulum a Saxoniae Principibus nunquam diſceſſit. Princeps AVGVSTVS, Adminiſtrator Epiſcopatus Naumburgenſis, factus eſt. Quibus omnibus ſubditi, ſubiectionis et fidelitatis iuramentum fecerunt, et perpetua poſtulatione Saxones Principes poſtulati ſunt. *Giouanni* Germ. Princ. P. III. de Saxon. p. 114. *Fabricius* O. S. lib. 8. p. 65. *Mulleri* Annal. ad h. annum.

Poſt reipublicae tranquillitatem conſtitutam, et confirmatam, ad Academiarum florem animum intendit hic Princeps optimus, et ne quid in iis deſiderari poſſet, ſedulo prouidendum cenſuit.

ſuit. Si errores ex Caluinianiſmo irrepſiſſent forte, eos penitus exſtirpauit. Nomine, et munere ſuo, nihil dignius, nihil ciuibus praeſtantius, exiſtimauit, quam pacem tueri, interruptam reſtituere, et conſeruare, vt omnes in tranquillitate conquieſcere, et bonas artes, ac doctrinas, in ſcholis, felici auſpicio, promouere queant. Hic Princeps optimus, extrema Christiani I, Electoris, iam morituri, voce, ad tuendam Aug. Conf. incitatus, et data acceptaque dextra, obſtrictus per omne tempus adminiſtrationis ſuae, eius promiſſi memor, ne transuerſum quidem vnguem, a Confeſſionis ipſius formula, receſſit, ſed voluntati Electoris Saxoniae ſatisfecit. De Electoris, Avgvsti laude digni, inſtituto nihil quidquam mutauit, Fridericvs Gvilielmvs, et ſimilem ſane voluntatem, et ſtudium, ad ornandas Academias, et ſcholas amplificandas, attulit. Ab Avgvsto veritas religionis, et conſentiens doctrinae norma, in Academias et ſcholas introducta erat: a Friderico Gvilielmo defenſa, et cuſtodita eſt. In Academiam Lipſienſem, et Vitembergenſem, ſatis benignum ſe praeſtitit, quae memoriam ſereniſſimi huius Principis perpetuam adhuc conſeruant. Edidit egregium munificentiae exemplum erga eos, communi victu qui in his Academiis fruuntur. Quod beneficium immortali laude celebrandum, eaque de re poſteris non ſine gratae mentis ſignifica- *Dreſſ.* c. l. tione commemorandum, et priuilegia Academiarum integra inviolataque conſeruauit, et multis modis auxit. Loquitur adhuc Academia Ienenſis, in qua dignitatem Rectoratus magnificentisſimi, obtinuit, quanta benignitate, et fauore, complexus ſit. Cui ſereniſſimus hic Princeps octies mille florenos, cum ſumtus minus ſufficerent, pro ſuſtentandis Profeſſoribus, anno MDXXC. donauit, de qua liberalitate *Mulleri* Annales Saxonici ad hunc annum, conferendi ſunt.

Tres ſcholae patriae illuſtres, Portenſis, Miſenenſis, et Grimenſis, benignitatem in ſe huius Principis egregiam, et plane ſingularem, expertae ſunt. Quia enim indulgentiſſimus hic Princeps literis et linguis optime inſtitutus fuit, non minus oblectamenta vitae, quam praeſidia prudentiae, et eruditionis, in humanio-

Digitized by Google

nioribus literis, poſuit. Digna ſunt verba *Ioannis Wankelii*, in Praefatione Horologii Principum, quae de hac re legantur, quae ita habent: *Quidquid temporis negotiorum neceſſariorum curationi ſupererat, id omne auctorum optimorum lectioni impendebat, cuius rei teſtes oculatos laudare poſſum, non eos tantum, qui aſſidui circa Principem fuerunt; ſed eos etiam, quibus vel ſemel ipſum adire, et ſalutare, licuit. Horum nemo ſine libris Principem ſtudioſiſſimum in cubiculo, ad menſam, in templo, in venatione, in itinere, domi, ac peregre, vidit, vt qui neque valetudinis reſpectu, neque vllorum monitis, ab hoc inſtituto ſeſe auocari pateretur. Inprimis vero linguarum cognitionem viro Principi, qui in familiari cum aliis congreſſu κωφὸν πρόσωπον nollet agere, ſingulari cum ornamento, tum adiumento eſſe iudicauit. Inter eas vero Latinam, eiusque cognatas, ſiue propagines malis appellare, Italicam, Gallicam, Caſtellanam, maxime eminere, animaduertebat. Illarum cognitionem flagrantiſſima diligentia ſibi ſtuduit comparare, tantos incredibili labore faciens progreſſus, vt tam loquendo, quam ſcribendo magis magisque indies, ſeſe exerceret, et oblectaret. Quod vt tanto maiore cum fructu fieret, non modo linguarum illarum gnaros circa ſe habere; ſed librorum etiam, illis linguis editorum, ſuppellectile, luculentam bibliothecam Principalem et augere, et ornare, ſatagebat, neque gratius quidquam ſibi accidere poſſe, quam ſi ſcriptore claro, elegantibus et typis, et chartis, praenitente, potiretur, haud obſcure prae ſe ferebat.*

Non ſolum eum ſtatum et florem, in quem ſcholae principales a Diuo MAVRITIO, Conditore, AVGVSTO, Amplificatore, et CHRISTIANO I, Conſeruatore, collocatae erant, vt tenerent, effecit, ſed quibus deeſſe neceſſaria cognouit ſubſidia, earum indigentiam adminiculis, aliunde petitis, ſubleuauit, neque quieſcendum ſibi eſſe cenſuit, niſi oeconomica pariter, et ſcholaſtica res, bene conſtituta eſſet. Hinc praeter Ephoros, ſiue Inſpectores, ex Equitum Miſnicorum, et Saxonicorum, ordine ſelectos, etiam Viſitatores ex Lipſienſi, et Vitembergenſi, Academia deſignatos, conſtituit, qui coniunctis viribus in commodum, et ſalutem ſcholarum, ſedulo inquirerent, et ſi quem defectum et exceſ-

ſum

Digitized by Google

ſum deprehenderent, eum vel ipſi, ſi poſſent, corrigerent, vel ſi id minus, ad Principem ipſum referrent, et nulla fere res, neque magna, neque parua, ad Fridericvm Gvilielmvm ab Inſpectoribus, et Viſitatoribus delata eſt, quam non praeſenti conſilio, et clementer explicuerit, et confecerit. Schola inprimis illuſtris Grimenſis, quae ſingulari Diuini Numinis praeſidio firma, ſtabilisque ſedes ſtudiorum liberalium ad hunc vſque diem permanſit, munificentiam huius optimi Adminiſtratoris adhuc praedicat, et omnibus ſeculis futuris, praedicabit. Atque hoc Doctores Gymnaſii Grimenſis non intermittunt, quoties de hoc optimo Muſarum Patrono cogitant, quibus ſingulare beneficium, ex cenſu, qui ex Zytho coquendo redit, ſingulis annis, Diplomate publico edito, perſoluendum iuſſit. Cuius Diplomatis verba digna ſunt, vt repetantur.

An den Rath und Steuer-Einnehmer zu Grimme.

vid. Annal. Grimenſ. Schol. M. S. ad h. a. 1593.

*Von Gottes Gnaden, Friederich Wilhelm, Herzog zu Sachſen, Vormunde; und der Chur Sachſen Adminiſtrator etc. etc. Lieben Getreuen, Wir haben einem jeden Profeſſor in der Fürſtenſchule zu Grimma zu ſeinem Tiſchtrunck jährlich eine Bierſteuer frey, gnädigſt bewilliget. Darum iſt vor Uns, und den Hochgebohrnen Fürſten, Herrn Johann Georgen, Marggrafen und Churfürſten zu Brandenburg, Unſern freundlichen lieben Oheimb, Schwager, und Herrn Vettern, und Gevattern, in geſamter Vormundſchaft, weiland Herrn Chriſtian, Herzogen und Churfürſten zu Sachſen, Chriſtmilden ſeeligen Gedächtnis, hinterlaſſenen jungen Herrſchaft, Unſer Begehren, woferne ſie mit eigenen Wohnungen verſehen, und darauf zu brauhen befugt ſeyn, Ihr wollet jedem jährlich ein Bier frey *, vor ihre Behauſung zu thun, verſtatten, und in eurem Steuerregiſter in Ausgabe verſchreiben. Daran geſchiehet Unſere Meinung. Dat. Torgau, d. 14. Octobr. anno 1593.*

Friedrich Wilhelm zu Sachſen.

Unſern lieben Getreuen, Rath, und Steuer-Einnehmer zu Grimma.

Praeſent. den 6. Nov. 1593.

* *Beträgt itzo 20. Thaler.*

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe Princeps literarum peritiſſimus, et amantiſſimus, omni fauore et amore viros eruditione claros, complexus eſt, eisque, auctoribus, ſuaſoribusque prudentiſſimis, omnique doctrina politiſſimis, Conſiliariis, *Dauide Peifero*, ſanctioris conſilii Praeſide, et *Marco Gerſtenbergio*, Cancellario, ſubſidia promouendae eruditionis ſuppeditauit, et oblectamenta vitae ex re literaria quaeſiuit. Officinam typographicam, eamque argenteis typis exornatam, in arce Torgauienſi inſtruendam, curauit, cui ſaepius, quantum per negotia publica licuit, interfuit, artis huius haud imperitus, et libris imprimendis omnique ſtudio et cura emendandis. Guiliel. Erneſtus Tenzelius, fama nominis celeberrimus, commemorat libros, in hac officina Torgae typis impreſſos, in Colloquiis, per ſingulos menſes editis, anno MDCXCVIII. p. 606. Quorum copiam bibliotheca ſereniſſimi Ducis Gothani poſſidet. In quibus ſunt, *Sermones ſacri*, D. *Lutheri*, per *Ioannem Wanckelium*, Profeſſ. Acad. Vitembergenſis, in linguam Latinam conuerſi. *Ioannis Claii*, Herzbergenſis, *Explicationes* anniuerſariorum Euangeliorum, et *Meditationes* ex hiſtoria paſſionis Ieſu Chriſti, Carmine redditae, Tom. III. in forma quarti ordinis, quae in Gymnaſio illuſtri Grimenſi, ex mandato huius Principis, noſtra adhuc aetate, ſingulis diebus dominicis, et feſtis, inter coenam praeleguntur. *Antonii Gueuarae horologium Principum*, a *Ioan. Wanckelio* ex lingua Caſtellana, adhibitis Gallicis et Italicis verſionibus, latine redditum. Hic *Wanckelius*, Kembergenſis Saxo, Adami Sieberi, Rectoris huius Gymnaſii, diſcipulus fuit, qui primo bonas artes in ſchola Torgenſi docuit, et optimo Proſeptemuiro fidelem operam praeſtitit. Hinc Vitembergam vocatus, Hiſtoriam ibidem publice profiteri iuſſus eſt, vbi tandem anno 1614. diem obiit ſupremum.

vid. celeb. *M. Schreberi*, Rect. Portenſ. narr. T. V. Miſcell. Lipſ. p. 2.

T. V. Miſcell. Lipſ. p. 12. *Sennert.* Athenae Witt. p. 741.

Tandem MDCI. Adminiſtrationis Electoratus Saxoniae curam, quam per decem annos omni fide, ſedulitate, integritate, et moderatione, teſte CHRISTIANO II. Electore Sax. in data apocha, adminiſtrauerat, depoſuit, et faſces regiminis CHRISTIANO II, primogenito Principi, annos pubertatis adepto, tradidit. Omnes et ſinguli tam ſummi, quam in Saxo-

nia infimi, fidelem eius adminiſtrationem, per omnes partes, Fabric. O. S. L.VIII. p. 74. comprobarunt, quippe qui non vi, et impreſſione, ſed prudenti conſilio omnia peregit, et omnes et ſinguli ſubditi res ſuas familiares, in tanta Principis benignitate, auxerunt, et ditiones ac Prouinciae, maxima emolumenta perceperunt. Hoc poſtremo adminiſtrationis anno, ditiones Saxoniae, immunes ab exactionibus, et tributis, reddidit, quod ſingulare ciuibus conceſſum fuit beneficium. Quod *Georg. Fabricius* in Originibus Saxoniae Ibid. Lib. VIII. pag. 74. imprimis laudat. Venationibus quoque hic ſapientiſſimus Proſeptemuir his terris profuit, conceſſa non ſolum Nobilibus, et aliis Equeſtris ordinis viris, feras omnis generis, legitimo modo, et tempore inſectandi, libera poteſtate, ne ſatiui colonorum et villicorum agri, ab iſtis feris miſere perderentur, et conculcarentur; verum etiam donatione ferinae, ſupplicatione humili a ſe expetentibus ciuibus, profuit, quarum vſum nuptiis, aliisque feſtiuitatibus adhibere poſſent.

Reuerſus igitur ex Electoratus, et Miſniae, finibus Vinariam, eodem anno, nempe MDCI, XVI. Calend. Nov. multis congratulationis ſignificationibus, a ſuis eſt exceptus. Omnes ſane ſcriptores laude promerita exornant hunc Principem optimum, quorum primus *Georgius Fabricius* l. c. ait: *Hic Princeps ſumma laude perpetuo digniſſimus; ſingulari animi moderatione, commendabili aequitate, et probitate, eruditione denique tanto Principe haud indigna, fuit, vt nulli Maiorum ſuorum virtute, aut inferior, haberetur. Erga religionem venerabilis, et conſtans, erga ſubditos clemens et benignus, erga omnes Principes agnatos candidus et ſincerus.* Eodem modo clariſſimus pag. 259. *Layrizius*, in Palmeto Hiſtor. inquit: *Hic Princeps fuit alter Gideon, virtute diuina inſtructus.* His acceſſit *Dreſſerus* in oratione, de hoc Principe: *Hic tanquam ſidus aliquod fauſtum et ſalutare rebus noſtris perturbatis, lumen attulit, Electoratum paene in humeros ſuos extulit, et praeſidio ſolatioque ſuo afflicta omnia recreauit.*

Tori ſocias habuit duas. Prior fuit SOPHIA, filia CHRISTOPHORI, Ducis Würtembergenſis, ex qua ſuſcepit filios

Digitized by Google

filios Principes tres, IOANNEM GVILIELMVM II, FRIDERICVM IV, in quarto aetatis anno mortuum, et tertium ἀνώνυμον, vna cum matre, in puerperio praematuro partu, exſtinctum. Filias itidem tres ex hac coniuge ſuſcepit, DOROTHEAM MARIAM, mature defunctam, ANNAM MARIAM, et DOROTHEAM SOPHIAM. *Fabric.* c. l.

Poſterior eius coniux fuit ANNA MARIA, filia PHILIPPI LVDOVICI, Comitis Palatini Rheni, ex qua vidit natos quatuor filios Principes, IOANNEM PHILIPPVM, FRIDERICVM V. IOANNEM GVILIELMVM IV. et FRIDERICVM GVILIELMVM II; Filias autem duas, ANNAM SOPHIAM, et DOROTHEAM.

Anno MDCII. die VII. menſis Iulii, conferens ſe Ichterſhuſium; in itinere denuo morbo corripitur, qui aliquoties eum iam antea afflixerat. Vinariam igitur repetens, in via cum Cancellario, *Marco Gerſtenbergio*, I. V. D., et *Georgio Wolframsdorfio*, Conſiliario intimo, multa de arte bene beateque moriendi, grauiter colloquutus eſt, et toto morbi tempore, ne vllum quidem impatientiae ſignum exhibuit. Videns tandem inſtare tempus, quo ſibi ex hac vita diſcedendum eſſet, cura omnino paterna erga liberos chariſſimos, et coniugem dilectiſſimam, affectus eſt, et edita primum fidei ac religionis verae confeſſione ingenua, ſe in doctrina, in Aug. Confeſſione, et in Form. Concordiae, comprehenſa, vſque ad extremum vitae halitum permanſurum eſſe, profeſſus eſt. Deinde Coniugem dilectiſſimam, liberosque ad ſe vocatos, adhortatus eſt, vt in vera religione conſtantes permaneant, et inter ſe concordiae, qua res paruae creſcunt, omni tempore ſtudeant. Sic eadem veſpera, ipſis Non. Iulii placide et beate vitam finiit, cum vixiſſet XL. annos, et XI. menſes. Vinariae ſepultus eſt. *Mull.* Annal. ad h. annum.

Poſſent quidem multa adhuc in laudes huius optimi Principis proferri, ſed morbo, quem vocant Hemiplectico, diuina voluntate immiſſo, nondum penitus releuatus, finem imponere coactus ſum. Quia vero hoc anno, et hoc praecipue menſe Septembri, nempe die XXV. memoria pacis religioſae, Auguſtae

Digitized by Google

Vindelicorum, CIↃIↃLV. confectae, debita animi pietate merito nobis recolenda eſt, iuuenes ſequentes ornatiſſimi ſex, de hoc argumento, varias habebunt orationes:

CHRISTIANVS THEOPHILVS PARSKY, Grimenſis, Memoriam pacis religioſae, Auguſtae Vindelicorum, anno 1555. confectae, recolere, puriori religioni deditis conuenire, docebit, Latino ſermone, in proſa.

SALOMO STEMLERVS, Colbenſis Variſcus, Mauricio, Pr. Electori Saxon. immortaliter merito, hanc pacem religioſam, praeter Deum, acceptam referendam eſſe, Latine, in proſa, confirmabit.

SAMVEL DOROTHEVS BONITIVS, Lichtenſteina Schönburgicus, de eximia Caroli V. Imperatoris Romanorum fortiſſimi, virtute bellica tandem ſuperata, aget, Carmine Latino.

IOANNES GEORGIVS NOEBELIVS, Globigenſis Saxo, Ferdinandum, Regem Romanorum, et poſtea Imperatorem Rom. pacis colendae et conſeruandae ſtudioſiſſimum fuiſſe, comprobabit, Oratione ligata Latina.

CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIVS, Leisniga Miſnicus, Deo immortali aget gratias decentes, quod veritatem religionis purioris per tot ſecula conſeruauit, et adhuc conſeruat, Sermone Graeco.

IO. ANDREAS AVGVSTVS KERMESSIVS, Palaeo-Ieſnicenſis Saxo, Votum pro ſalute et incolumitate Sereniſſimi Regis Polon. et Pr. Elect. Saxoniae, AVGVSTI III. Nutricii noſtri clementiſſimi, eiusque Domus regiae, ad Deum fundet, Carmine Germanico.

Hos oratores, bonae indolis, et exſpectationis, iuuenes, vt Muſarum amatores, et Fautores, libenti animo audiant, ſuaque praeſentia excitent, ea, qua par eſt, humanitate rogamus. P. P. XVIII. Kal. Octobr. CIↃ IↃCC LV.

Digitized by Google